

# Einladung

zu der

den 4. Oktober zu haltenden

# öffentlichen Prüfung

der

sämmtlichen Klassen

des

Gymnasiums zu Bromberg,

von

Müller,

Director.

## Inhalt:

- 1) *Judicia veterum et recentiorum de Aristophane poeta brevi in conspectu posita*, vom Prof. Dr. H. Th. Röscher. 2) Schulnachrichten.

---

Bromberg, 1841.

Gedruckt in der Grünauerschen Buchdruckerei.



© 1910

1910

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

REPORT

ON THE

BY

1910

CHICAGO, ILL., 1910

PRINTED BY

UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

## Judicia veterum et recentiorum de Aristophane poeta brevi in conspectu posita.

Iniqua de Aristophane judicia nostris temporibus virorum doctorum auctoritate esse labefactata inter omnes constat. Nostra enim aetate accuratae indagatiōni contigit, ut, quae olim justam aestimationem Aristophanis impedirent, eximiorum virorum studio plane removerentur. Tamen operae pretium videtur veterum et recentiorum judicia praeustrare, cum tanquam historiam, quid de eo diversae senserint aetates, praebeant.

Ut ab aequalibus incipiam nemo non ignorat, comicum nostrum ingenti audientium plausu esse exceptum. \*) Athenienses poetae ingenium magis magisque agnoscentes magno ejus amore capti tenebantur. Quoties enim cum poetis celebratissimis congressus victor discessit! Summum Atheniensium erga Aristophanem admirationis testimonium nobis traditum est. Compositis enim pro patriae salute carnibus effecisse fertur, ut oleae sacrae ramo coronaretur. \*\*) Quo honore accepto in eorum numero est habitus, qui optime de patria essent meriti. Nonne hoc ipsum summam Aristophanis nostri auctoritatem gravitatem queprobat, quod, cum reliquorum poetarum comicorum carmina omnia sint amissa, nostri poetae comoedias praestantissimas usque ad nostram aetatem integras esse servatas constat? Veterum enim librorum fata non caecum quendam casum habent auctorem, sed, ut ita dicam, divina providentia deque consilium ea ab interitu retraxit, quae posteritati summum praeberent ingenii veterum testimonium.

\*) Cf. disquisitionem nostram Aristophanes und sein Zeitalter p. 72 etc. et Bode: Geschichte der Hellenischen Dichtkunst, tom V. p. 235 etc.

\*\*) Cf. Aristophanis vitam ab anonymo scriptore, p. XXX. Lips.

Aequalium Aristophanis primum nobis summi philosophi Platonis gravissimum occurrit iudicium. In convivio suo Plato Aristophanem cum Socrate, Agathone, Alcibiade aliisque colloquentem induxit. Quod consortium urbanissimum philosophi sententiam de Aristophanis comici praestantia satis superque declarat. Nunquam enim a Platone institui potuisset, ut consociaret venerandum Socratem cum Aristophane et jucundissimum cum eo fingeret sermonem, nisi Aristophanis artem et ingenium esset admiratus. Non enim ut sophistas risui eum permisit, sed praeclarissimam de amore sententiam sub specie lepidissima, secundum morem suum, proferentem finxit. \*)

Secundum testimonium, quod Platonis erga Aristophanem admirationem nobis confirmat, est venustissimum illud epigramma, quod Platoni philosopho tribuitur.

*Αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὄπερ οὐχὶ ποσειταί,  
ζητοῦσαι ψυχὴν εὖρον Ἀριστοφάνους. \*\*)*

Quae cum satis demonstrent, quid Plato de Aristophane senserit, non dubito tertio quoque, quod exstat, testimonio momentum aliquod tribuere. Narrant enim Platonem Dionysio tyranno, Atheniensium rempublicam cognoscere cupienti Aristophanis misisse comoedias. \*\*\*) Quas si satis perceptas haberet comoedias rempublicam Atheniensium quoque eum esse cogniturum. Nunquam profecto hoc fecisset Plato, nisi totius Atheniensium vitae Aristophanem gnarissimum habuisset. \*\*\*\*) Commemoratur

\*) Cur Plato Aristophanem in convivio externum Socratis corporis habitum describentem finxerit ingeniose nuperrime interpretatus est Ed. Müllerus in libro suo: *Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten*, 1. p. 142 ubi dicit: „Die scheinbar nur-so hingeworfenen Worte, die Alcibiades an Socrates richtet, als er das ausgezeichnete Benehmen bei Delium rühmt, wie er mit ruhigem Blick um sich hergesehen habe nach den Freunden und Feinden und jedem offenbar gemacht, auch ganz von Weitem, dass, wenn einer an diesen Mann sich machen wolle, er auf das tapferste sich vertheidigen werde, diese Worte enthalten die feinste aber zugleich schärfste und treffendste Satire gegen Aristophanes, der einen solchen Mann, wie Socrates, nur nach seiner unverständenen Aussenseite beurtheilte.“ etc.

\*\*) Olympiod. *vita Plat.* p. 585 in *Bibl. liter.* et *art. fasc. V.* p. 11 et Thomas Magister in „*Vita Aristophanis*“ p. XL. Nostris temporibus Platonem philosophum non esse auctorem nemo adhuc contendere audeat. Bailleti dubitationem (*Jugemens des Savans T. IV. p. 221*) Menagius jam refellit. Cf. *Jacobs Catal. Poet. epigrammaticorum V. XIII. p. 939* et nos in: *Aristophanes und sein Zeitalter* p. 18. De genuina epigrammatis scriptura bene disputavit Rankius in *incommentatione de Aristophanis vita, LVIII.* Revocavimus supra scripturam *ζητοῦσαι pro διεξιόμεναι*, quam olim defendimus.

\*\*\*) *Anonymi vita Aristophanis* in *edit. Küsteri et Beckii* p. XXXVII.

\*\*\*\*) Parvi momenti mihi videntur argumenta, quibus viri docti testimonium illud labefactare putaverunt. Nihil enim proferunt, nisi quod maxime mirum foret, si illo tempore Aristophanis comoediae Syracusis reperiri non potuissent. Cf. *Ranke l. c. LIX.* Bode:

denique in defuncti Platonis lecto Aristophanis comoedias et Sophronis mimos esse inventos. Quomodo res se habeant, nunquam narrationes hujusmodi exstitissent, nisi Platonis Aristophanei ingenii admirationem scriptores pro certo habuissent.

Aristoteles, quamvis antiquam comoediam minus amaret, Aristophani tamen honorem tribuere non onisit. Disserens enim de comoedia, reliquis hujus generis omissis, solum Aristophanem appellat.\*)

At antiqua, quae vocatur comoedia, desiit, et nova, quae inde exstitit aliam ingressa est viam. Quae aequalium et posteriorum animos ita delinivit, ut fere omnes, qui veram comoediam in vita recte instituenda, inque moribus emendandis versari oportere putarent, Menandri comoedias in coelum tollerent et Aristophanis comoedias pravae et malignae mentis incusarent.

Aristophanes Byzantius Menandrum in arte comica praestantissimum dixit et Dionysius Halicarnascensis, quamvis antiquam comoediam maledictis non insectaretur, tamen Menandro palmam concessit.\*\*)

At judicii maxima iniquitas in lucem prolata est a Plutarcho, qui quanto amore prosequitur Menandrum, tanto Aristophanem reprehendit odio. Plutarchus enim toto animo nostri poetae adversarius existimandus est. Cujus rei gravissimum habemus testimonium, comparisonem Aristophanis cum Menandro.\*\*\*) Haec in libello Aristophanem acerrime increpuit et genus dicendi ejus illiberale et plebejis hominibus jucundum vocat omnique modo ejus comoedias tanquam omnis venustatis expertes vituperat. Patet ex Plutarchi libello, eum formam universam antiquae comoediae in contemptum duxisse, jocum nempe scurilem prae se ferentem, ut scilicet plebi rudique ejus impudicitiae placeret. In reliquis quoque Plutarchi libris multa odii in Aristophanem vestigia reperiuntur.\*\*\*\*)

Geschichte der Hellen. Dichtkunst. V. p. 243. Quae adjiciuntur verba: Platonem misisse τὴν κατὰ Σωκράτους ἐν Νεφέλαις κατηγορίαν Bekkerus uncis inclusit et Dindorf Vol. IV. p. 35 plane omisit. Olympiodori vita Platonis p. 78 ed. Fischer. Sophronis mimos capiti suppositos habuisse plures scriptores narrant. Quint instit. Orat. I. 10, 7. Val. Max. VIII., 7.

\*) Aristot. Poet. cap. III.

\*\*\*) Cognovit enim Dionysius antiquam comoediam esse politicam et una cum ridiculis seria prae se ferre. Cf. Dionys. Hal. art. Rhet. p. 302 R. ἡ δὲ γε κωμῳδία ὅτι πολιτεύεται ἐν τοῖς δράμασι καὶ φιλοσοφεῖ ἢ περὶ τὸν Κρατῖνον καὶ Ἀριστοφάνην καὶ Ἐυπολιν, τί δεῖ καὶ λέγειν. ἢ γὰρ τοὶ κωμῳδία αὐτῇ τό γελοῖον προσησαμένη φιλοσοφεῖ.

\*\*\*\*) Plutarchi moralia T. IV. p. 421—427 ed. Wyttenb.

\*\*\*\*\*) Cf. de gloria Athen. 5 p. 348. B: de Herodoti malign. 6 p. 855 F. Vita Pericl. c. 13. The-mist. 19.

Plutarchus autem ab antiquitate tempore Aristophanis florente, et temporis spatio et sui ipsius indole longissime distabat, cum mores illius temporis plane evanuisent, et ipse in operibus, quae deflorescente Graecia enata essent, acquiesceret. Alia ex parte Plutarcho non contigit ut, quae praeteriti temporis ingenio propria essent, eorum imaginem notione et cogitatione repraesentaret. Qua ex causa contemplatione Graeciae florentis extrinsecus a Plutarcho facta necesse erat, ut ab antiqua comoedia abhorreret et vel taedio quodam afficeretur, recenti vero comoedia delectaretur. Plutarchus igitur, quum turpibus sui temporis moribus et Graecorum pravitate vehementer doleret, singulorum tantum virorum egregie factis gaudebat, eorumque vitas tanquam solatium perturbati animi conscripsit, et, si quid tunc temporis antiquam honestatem spirare videretur, magno amplexus est amore. In Aristophane autem legendo haerebat in singulis, neglecta, qua universum antiquae comoediae genus continetur, notione. Hoc de Plutarcho, spectatissimo viro, iudicium scriptis ejus non raro confirmatur, praecipue in rebus ad religionem spectantibus, ubi primam saepe et antiquam narrationem et fabulam cum jejuna et frigida commutavit, aut illam plane rejecit, cum pristinae fabulae sapientiam non intelligeret.

Huic Plutarchi de Aristophane iudicio adjungendae sunt similes criminationes Aeliani, qui vehementer in poëtam nostrum saeviit. Socraticae enim philosophiae amore ductus, Aristophanes ejus irrisorem maxima iracundia reprehendit. \*) Quae de Aristophane protulit Lucianus ejusmodi sunt, ut non sine artificiosa subtilique argumentatione reprehensiones ingeniosi viri in Aristophanem tollere queas. \*\*) Quamquam enim Lucianus Aristophanem facetissimum censet poëtam, quod jam probant verba ex Aristophanis comoediis desumpta, quae suae interdum inserit orationi, tamen propter Nubes malignum eum habere videtur.

Inter Graecos scriptores, qui nobis innotuerunt, nonnulli quidem Aristophanis ingenium laudant, at eorum nemo totius Aristophanei ingenii naturam, nedum antiquae comoediae indolem et principium perspexit. Viri docti e Ptolemaeorum aetate Aristophanis auctoritatem contra eos, qui Menandri et Philemonis comoedias unice diligenter,

\*) Aelian. V. II. 13: *Ἀριστοφάνην τὸν τῆς κωμῳδίας ποιητὴν βωμολόχον ἄνδρα, καὶ εἶναι σπενύδοντα, ἀναπέλθουσι κωμῳδῆσαι τὸν Σωκράτην*, et paulo post: *εἰκὸς δὲ καὶ χρηματίζεσθαι ὑπὲρ τούτων Ἀριστοφάνην*. Hanc vero de Socratis irrisione sententiam jam dudum refutarunt viri docti. Vide Palmerium et Spanhemium in Praef. Aristophan. ed. Küsteri. Meiner's Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften. II. p. 476. Harles Progr. IV. de argumento comoediae Aristoph. Nubes in scriptae scopoque comici Erl. 1787.

\*\*) Ranke (vita Arisiophanis q. XX.) nuperrime Lucianum defendere et ex detractatore in Aristophanis admiratorem convertere conatus est. Sed Rankii defensio tantum speciem veri fert. Qui Aristophanem propter sermonis elegantiam ingenii acumen admiratur, tamen Socratis irrisorem malignum habere potest. Libertate enim ex hominum vita remota, comoediae, qualis antiqua erat, indolem et naturam, quo remotiores ab ea aetate erant, eo minus intelligere poterant veteres.

quodammodo restituerunt. Aristophanes Byzantius, quamquam primum Menandro tribuit locum, tamen comicum nostrum maximi habuit. \*) Ex hoc tempore judicia posteriorum profecta esse puto, qui Aristophanis indagarent vitam. Sine dubio enim Platonius ex Alexandrinorum virorum iudiciis hausit, quae de intima antiquae comediae cum republica Atheniensium conjunctione\*\*), aequae ac de ratione inter tres viros, quibus in antiqua comoedia omnes principatum tribuerunt, sagaciter exposuit. Aristophanem enim Cratini et Eupolidis virtutes ita conjunxisse contendit, ut, quum in adversarios suos impetum faceret, Cratini vehementiam cum Eupolidis consociaverit elegantia.\*\*\*). Criticus quidam anonymus, Aristophanem Atheniensium sapientissimum vocat \*\*\*\*). Alter anonymus poëtam nostrum antiquae comoediae principem appellat.\*\*\*\*\*). Tertius denique Aristophanem in omni comoediarum genere eluxisse contendit.\*\*\*\*\*). Quibus iudiciis confisi vitae Aristophanis scriptores, antiquam eum comoediam ad finem nobilissimum et ad summum artis fastigium perduxisse praedicant.\*\*\*\*\*). Quaecumque singuli, quorum mentionem fecimus, de Aristophane laudarunt, Thomas magister cumulavit.\*\*\*\*\*).

Non praeterire licet Longini iudicium, qui in libro de sublimitate bene animadvertit, Aristophanem saepe ex plebejo sermone ad sublime dicendi genus transire, quamquam Longinus nec veteris comoediae, nec Aristophanis perspexit naturam, quum, ne vilis videretur, ad sublime dicendi genus confugisse Aristophanem putaret.

Jam vero elegantissimum et sapientissimum Graecorum de Aristophane iudicium reperimus in epigrammate Antipatri Thessalonicensis, quocum conjungere licet aliud epigramma a Diodoro profectum. Nemo enim, excepto Platone philosopho, pulchrius et ornatus in Aristophanis laudes ingressus est, quam Antipater Thessalonicensis

\*) Cf. Wolf Prolegg. CCXX.: „Praecipuum studium impendit in scenicos poëtas, maxime in Comicum cognominem suum, neque sic, ut in obscuris seu elegantibus vocabulis haereret, sed, ut universam et artem et tempora fabularum exponeret.“

\*\*\*) Cf. Meineke Hist. crit. com. Gr. p. 531.

\*\*\*\*) Cf. Meineke l. 1. p. 534, 17: ἔχει Ἀριστοφάνης πρὸς ἀμαρτάνοντας τὸ σφοδρὸν τοῦ Κρατίνου, καὶ τὸ τῆς ἐπιτροχούσης χάριτος Εὐπόλιδος.

\*\*\*\*\*) Meineke l. 1. p. 536, 20. Aristophanes dicitur μάκρῳ λογιώτατος Ἀθηναίων, καὶ εὐφυνίῳ πάντας ὑπεραίρων.

\*\*\*\*\*) Meineke l. 1. p. 539, 4. γέγονε δὲ τῆς μὲν πρώτης κομωδίας ἄριστος τεχνίτης οὗτος ὁ Ἀριστοφάνης.

\*\*\*\*\*) V. Meineke p. 540, 11.

\*\*\*\*\*) V. Meineke p. 542, 20: ὅς (sc. Ἀριστοφάνης) πρῶτος δοκεῖ τὴν κομωδίαν, εἰτι πλανωμένην, τῇ ἀρχαίᾳ ἀγωγῇ ἐπὶ τὸ χρησιμώτερον καὶ σεμνότερον μεταγαγεῖν.

\*\*\*\*\*) Cf. Meineke p. 546, 14.

in epigrammate, in quo comici virtutem ingeniosissime describit. \*) Idem vir, qui Aristophanis comoedias ex divina quadam animi permotione ortas celebrat, et virtutes ejus in egregiis versibus exornat, Socratis erat amicissimus, ejusque mortem in epigrammate ipse deflevit.

Romanorum scriptorum de Aristophane sententias perscrutantes, non magnum ex iis fructum capimus. Primum Ciceronis nomen nobis occurrit. Hic non solum Atticorum antiquam comoediam jocandi generi adnumerat urbano et eleganti, \*\*) sed etiam Aristophanem, cujus verba de Periclis eloquentia pronuntiata testimonii loco affert, \*\*\*) facetissimum veteris comoediae poetam appellat. \*\*\*\*)

Horatius quartae satirae initio veteris comoediae severitatem praedicat. \*\*\*\*\*) Quam sententiam Persius secutus est. \*\*\*\*\*) Aristophanem autem a Romanis, qui satiris scribendis operam darent, magni esse habitum, non mirum videri potest. Singula enim hominum vitia singulosque improbos sceleratosque homines salibus perstringendi in antiqua Atheniensium comoedia et Romanorum satiris est communis consuetudo, quantopere in ceteris inter se discedant illa poeseos genera et plane diversis contineantur

\*) Anthol. Gr. V. II. p. 102 ed. Jacobs:

*Βίβλοι Ἀριστοφάνους, θεῖος πόνος, αἶψα Ἀχαρνέως  
κισσός ἐπὶ χλοερῆν πουλὺς ἔσεισε κόμη.  
ἠγὶδ' ὅσον Διόνυσον ἔχει σελίς, οἶα δὲ μῦθοι  
ἠχέουσιν, φοβερῶν πληθόμενοι χαρίτων.  
ὦ καὶ θυμὸν ἀριστε, καὶ Ἑλλάδος ἠθεσὺν ἴσας  
κωμικὴ καὶ στύξας ἄξια καὶ γελᾶσας.*

Adde Diodori praeclarum epigramma:

*Θεῖος Ἀριστοφάνης ὑπ' ἐμοῦ νέκυσ εἴ τινα πένθη,  
κωμικὸν ἀρχαίης μᾶμα χοροστᾶσις.*

\*\*) Cic. de off. 1, 29: Duplex est omnino jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.

\*\*\*) Cic. orat. cap. 9.

\*\*\*\*) Cic. de leg. II. 15.

\*\*\*\*\*) Horat. Serm. 1, 4.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae,  
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,  
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,  
Quod moechus foret, aut sicarius aut alioqui  
Famosus, multa cum libertate notabant.

\*\*\*\*\*) Pers. Sat. 1, 123.

Audaci quicumque afflate Cratino  
Iratum Eupoliden praegrandi cum sepe palles,  
Adspice et haec, si forte aliquid decoctus audis.



fundamentis. Quintilianus, vir elegantis ingenii ex Romanorum indole poëtas omnes, quos dijudicavit, ad oratoriam artem conformandam retulit. \*) Unde factum, ut, quo magis arti rhetoricae inservire posset poëta, eo excellentior a Quintiliano haberetur poëta. Quum gitor poëtam non ex poëtae sed oratoris virtute penderet Quintilianus, non raro in judiciis suis a recto aberravit. \*\*)

Priusquam Romanos relinquam, Plinii secundi verba asferre juvat, quibus veteris comoediae sese exhibuit peritum. Quibus enim floruit virtutibus illa comoedia, ardore quodam animi declaravit. \*\*\*)

Iam ad recentiorem aetatem progrediamur. Praeter Germanos alii populi ad Aristophanis indolem et dignitatem cognoscendas nihil fere contulerunt. Est vero Germaniae proprium veritatis investigationi, ingeniorumque justae aestimationi religiosissimo studio operam dare. Ut Italos et Anglos relinquam, qui, ut Aristophanis ingenium illustraretur nihil fere adjuvarunt, Francogallorum Voltarius imprudenter et plane neglecta antiquae comodiae natura, in Aristophanem invecus est. \*) Sed huic Voltarii sententiae aliae et prudentiores, ex Francogallis profectae, opponi possunt sententiae, ut Vavassoris, Dacieriae et Brunkii, qui Voltarii convicia refutavit.

Germanorum primam mentionem facere par est Frischlini (1547 — 1590) qui non solum plures Aristophanis comoedias latinis versibus reddidit, sed etiam dissertationem de comoedia, Aristophanisque contra Plutarchum defensionem composuit. Optime de Aristophane iudicavit vir eximius, qui ipse per totam vitam libero ore in malos homines et humanae dignitatis contemptores invecus est. At nostrae aetati

---

Cf. Casauboni commentarium ad l. l. Aristophanem vocat senem non propter aetatem, sed propter argumenti gravitatem.

\*) Quint. instit. 10, 1, 64; Antiqua comoedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi est insectandis vitiis praecipua plurimum tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta: et nescio an nulla, post Homerum tamen, quem, ut Achillem, semper excipi par est, aut similior sit oratoribus, aut ad oratores faciendos aptior. Plures ejus auctores: Aristophanes tamen et Eupolis, Cratinusque praecipui.

\*\*) Hoc Quintiliani iudicium multa probant exempla. Terentii scripta elegantissima plus censet habitura gratiae, si inter versus trimetros stetissent. Instit. 10, 1, 99.

\*\*\*) Plin. epist. VI. 21. Narrat enim Plinius sese Virginium audisse legentem comoediam, ad exemplar veteris comoediae scriptam. Pergit Plinius: „Nunc primum se in veteri comoedia, sed non, tanquam inciperet, ostendit. Non illi vis, non dulcedo, non lepor defuit. Ornavit virtutes, insectatus est vitia, fictis nominibus decenter, veris usque est apte.“

\*\*\*\*) Cf. quae de Voltarii iudicio exposuimus in libro: Aristophanes und sein Zeitalter. p. 39.

praecipue contigit, ut animus et ingenium Aristophanis accuratius intelligerentur. Postquam hactenus viri docti singula tantum in Aristophane explicando illustrare susceperant, prodiit denique vir ille immortalis, qui iudicio sagacissimo fretus, et summo veritatis amore commotus, tot errores longe lateque diffusos dissipavit, Lessingius. Non solum Aristophanis contemptores auctoritatis suae vi oppressit, sed in perscrutanda Atheniensium comoediae natura comicum nostrum malignitatis culpa liberare et propter Nubes purgare conatus est, quum non Socratem ipsum risi esse permissum, sed potius Sophistas sub specie Socratis esse tractatos singulari suo acumine contenderet. \*) Quam opinionem multi sequuti sunt viri docti.\*\*)

Quo propius ad nostra progredimur tempora, eo plures prodire viri docti, qui, ut totam Aristophanis naturam intelligerent operam navarunt. Sufficiat commemorare Goethium, F. A. Wolfium, et Reisigium. Quorum Goethius, Aristophanis suavitate adlectus, imitatione ingeniosam Avium fabulam expressit, Wolfius autem Nubium elegantissima interpretatione, quam cum Aristophanis ingenio haberet cognationem, detexit. Non minus Reisigius toto Aristophanis studio deditus erat animo, ut ejus virtutes viris doctis recluderet.\*\*) Quod quominus ad finem perduceret praematura ingeniosi hominis mors impedivit. De universa Aristophanis cognitione optime meruit A. G. Schlegelius, qui in libro celeberrimo, in quo primus scenicae artis apud omnes populos historiam exposuit, Aristophanis gloriam amplificavit,\*\*\*\*) et, quum elegans et subtile Schlegelii opus in finitimas terras intraret, ibi quoque majorem Aristophanis amorem concitavit, et prudentius de summo comico iudicium longe lateque propagavit.

Ita factum est, ut in dies fere eorum numerus diminueretur, qui poetam nostrum ad quamvis malignitatem exercendam promptum haberent, dummodo risui praeberet copiam. In perlegendo poeta igitur persuasum habuerunt, Aristophanis contra Socratem iram, cum ea, qua in ceteros usus sit, nullo modo congruere. Quare magis magisque conturbati nihil antiquius habebant, quam ut omni animi turpitudine purgarent poetam.

Alteram virorum doctorum pars cujus jam supra mentionem fecimus Sophistas

\*) Lessing's Dramaturgie, 2. p. 305.

\*\*) Hanc de Aristophane sententiam renovatam reperies ab J. H. Vossio in adnotationibus ad Aristophanis versionem. Nub. v. 93 et v. 99 et ad Aves v. 995. Cum eo consentiunt Heerenius in libro: Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der alten Welt. T. 3. p. 1 p. 452. Adnot. et Jacobsius in dissertatione. Ueber die Bildung der Griechen zur Sittlichkeit. (Comment. Acad. Monac. 1808. p. 20.

\*\*\*)) Cf. Reisegii praefationem in Nubes et Conjectanea sua in Aristophanem.

\*\*\*\*) Schlegel; Vorlesungen über die dramatische Kunst und Literatur. I. p. 265 — 326.

non Socratem spectasse Nubes contendit. Facillime enim sic sibi satisfecisse videbantur, tum malignitatis et injustitiae crimen ita ab Aristophane removentes, tum, quaecunque in Socratem protulerat comicus in Sophistas quam aptissime quadrare opinati.

Altera virorum doctorum pars aliam, ut integram servarent Aristophanem, viam est ingressa. Aristophanem non Sophistas sed Socratem ipsum perstrinxisse contenderunt, sed hinc et illinc causas petierunt, quae malignitatis accusationem aut minuere aut plane removeere possent. Sed cum extrinsecus tantum causas captarent, factum est, ut in sententias abirent diversissimas, et tot fere enascerentur opiniones, quot viri Aristophanem defendere studerent. Quorum singulas opiniones et sententias in libro nostro ita examinare conati sumus, ut intimam sententiarum conjunctionem earumque inter se progressum ostenderemus, et in singulis semper verum a falso discernere. \*)

Jam vero ex hac virorum doctorum agitatione patet, in omnibus studium conspici, tum rationem ipsam, qua Aristophanis continentur comoediae, cognoscendi, tum, quod cum hoc studio necessario est conjunctum, ab omni turpitudinis crimine defendendi poetam.

At horum nemo plane Aristophanis naturam et antiquae comoediae gravissimum argumentum introspectit. Quare singuli in defendendo Aristophane in contraria et sibi repugnantia aberrarunt. Fundamentum vero intimae Aristophanis intelligentiae jecit Hegelius, qui primus antiquae comoediae principium ejusque cum Atheniensium republica aequae ac antiquitatis graecae mente et indole arctissimam cognationem explicavit. \*\*) Hoc modo primum fieri poterat, ut Aristophanis comoediae sub specie aeterni evolverentur et intimae earum rationes et causae una cum universa antiquitatis indole et Atheniensium moribus demonstrarentur. Hoc bipartitum studiorum pensum nobis constituimus in libro nostro: Aristophanes und sein Zeitalter. At nunquam hujus rei efficiendae nobis data fuisset potestas, nisi ea nobis antecessisset philosophia, quae primo historiam universalem sub specie aeterni intellexit. Quod de Aristophanis

---

\*) Cf. Aristophanes und sein Zeitalter, p. 294—319, ubi de Hermannii, F. A. Wolfii, Reisingii, A. G. Schlegelii, Mitchellii, Welkeri et Süvernii sententiis copiose disputavimus et quatenus laudatorum virorum quisque verum adtigerit et a vero aberraverit demonstravimus.

\*\*) Cf. Hegelii Phänomenologie des Geistes, p. 693 u. s. f. (op. p. 558) Aesthetik (op. X. p. 533, 559).

ingenio in libro nostro exposuimus a viris doctis, qui poetam nostrum et antiquam  
comœdiam intelligere studeant, comprobata sunt, ut jam alii polita doctrina instructi  
operi inchoato fastigium imponere et omni ex parte poetæ principium ingeniumque  
explicare possint.


H. TH. RÖTSCHER.

Jam vero ex hac ratione patet, in omni studio  
comœdiæ, tam antiquæ ipsius, quæ Aristophanis comœdiæ, cognoscendæ,  
tam, quod cum hoc studio necessario est conjunctum, ab omni turpitudine cunctis  
defendendi poetam.

At verum nemo blane Aristophanis naturam et antiquæ comœdiæ gratiam  
suum argumentum intropescit. Quare singuli in defendendo Aristophano in contraria  
et sibi repugnantia abstrahunt. Fundamentum vero intus Aristophanis intelligentiæ  
fieri debet, quod primis antiquæ comœdiæ principium clare cum Aristophanis  
republicæ æque ac antiquitatis gratia nunc et inde ætatisiam cognoscitur  
plurimè. Hoc modo patrum fieri poterit, ut Aristophanis comœdiæ sub specie  
æterni ævolventis et immutabilis carum carum et carum cum omni turpitudine  
in rebus et Aristophanis methodis demonstrantur. Hoc legitimum studium patrum  
nobis constantius in libro nostro Aristophanes nunc cum Næbels. At nunc et illi  
fieri tot ætatisiam nobis data fieri poterit, nisi ea nobis antecessit et plurimè  
post primo hactenus universalem sub specie æterni intellectæ. Quod de Aristophanis

\*) Cf. Aristophanes und sein Zeitalter, p. 204—210, vgl. de Hermann, F. A. Wolff, Hel-  
dolf, A. G. Schlegel, Meibohm, Wolff et Savigni sententiis, quibus Aristophanes et  
generum hactenus vitorum patrum vultus et a vero statuere debent  
struuntur.

\*\*) Cf. Hegel's Ethnologische des Geistes, p. 693 in c. 2. (op. p. 508) Aesthetik, Cap. X,  
p. 525, 526.



# Jahresbericht

über das Schuljahr 1844.

## A. Lehrgegenstände, Schulbücher und Lehrer.

### Erste Klasse.

Ordinarius: Director Müller.

#### 8 Stunden Lateinische Sprache.

- a) 2 St. Im Winter Catull mit Auswahl und Horazens Brief an die Pisonen. Im Sommer Horazens Oden, B. 1 und 2. Prof. Dr. Hempel.
- b) 2 St. Cicero. Im Winter Orator bis c. 40. Im Sommer de Fin. B. et M. L. 1. und II. c. 10.
- c) 1 St. Revision der Privatlectüre. Terenz und Liv. L. 1. Dir. Müller.
- d) 1 St. Stylübungen, innerhalb 14 Tagen 2 freie Arbeiten, in der 3ten Woche ein Exercitium und in der 4ten eine metrische Arbeit. Sämmtliche Arbeiten wurden von dem Lehrer zu Hause corrigirt und in der Stunde recensirt. Im Reste der Stunde wurden theils Extemporalien geschrieben und verbessert, theils von den Schülern freie Latein. Vorträge über Abschnitte der Geschichte gehalten. Derselbe.
- e) 1 St. Latein. Interpretir- und Disputirübungen über griechische Stellen, die von den Schülern zu Hause ausgearbeitet worden waren. Derselbe.
- f) 1 St. Latein. Extemporalien. Derselbe.

#### 6 St. Griechische Sprache.

- a) 2 St. Plat. Polit. B. 3.— Demosth. orat. I. adv. Philipp. und Orat. Olynth. I. Prof. Kretschmar.
- b) 2 St. Eurip. Electra und Sophocl. Electra. Dir. Müller.
- c) 1 St. Homer's Iliade L. XI.—XX. und Xenoph. Cyrop. L. I. cursorisch und privatim. Derselbe.

1) 1 St. a. Stylübungen nach Dictaten, wöchentlich eine, zu Hause von dem Lehrer corrigirt und in der Stunde recensirt; b. metrische Versuche an der Tafel verbessert. Derselbe.

NB. Die Erklärung der Lateinischen und Griechischen Schriftsteller wurde in Lateinischer Sprache gegeben.

2 St. Hebräische Sprache.

Grammatik nach Gesenius. Die Formenlehre vom unregelmäßigen Verbum an und die Syntax. Lectüre. Die Genesis, c. 6 — 30. Prof. Dr. Hempel.

2 St. Deutsche Sprache.

Deutsche Aufsätze, alle 4 Wochen einer. Freie Vorträge. Erklärung von Dichterwerken. Prof. Dr. Röttscher.

